



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 55. Propositiones a Rege ad Facultatem delatæ, atque ab eadem damnatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI.  
A.C. 1559.

excitatorum, necnon ob quasdam propositiones, quas idem Doctor Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto ex suggestu dictaverat. Itaque perlecto hoc decreto major pars Magistrorum censuit, quod sententia hæc haberetur in forma authentica & probata, priusquam aliquid statueretur contra dictum doctorem de Martimbos, qui tunc Congregationi aderat, hinc data est provincia habendi hanc Sententiam Magistro de Courcelles Syndico Facultatis, ut majori cum cognitione quidpiam constitueretur.

Die secunda Septembris prælectum est decretum Regium contra Magistrum Nicolaum de Martimbos, erat que extractum legitime ex Consilii privati tabulis ipsius Regis die duodecima Februarii Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, quo audito & lecto, ac diligenter consideratis his, quæ in illo continentur, censuit Facultas contra ipsum Martimbos, quod non gauderet fructibus dictæ facultatis, quousque purgatus fuerit.

§. LV.

*Propositiones a Rege ad Facultatem delatæ, atque ab eadem damnatæ.*

Die

Die nona Septembris Rex plures alias Sæc. XVI.  
A.C. 1559.  
propositiones rursus ad Facultatem

deferebat, ut ipsa suum desuper iudicium ferret. Hæ autem numero erant quinque, quarum prima ita sonabat: *Nulla est quoad Sacramenti substantiam controversia apud illos, qui de Missa aliisque rebus disputant.* „Hæc propositio inquit Facultas, est manifeste falsa, hæretica, & Sacramentaria, & quicumque eam asserit, declarat se fautorem, & defensorem Sacramentariorum.

II. *Quantumvis aliquis circa formam Sacramentorum dissentiat, nimirum, quod Altaris Sacramentum admittat, ritus tamen, & Missæ formam rejiciat, non ea puniendus est severitate, qua illi, qui negant Sanctæ Communionis Sacramentum. Ad hanc propositionem Facultas inquit: quicumque hanc hypothesein proponit, captiose, & schismaticè videtur Missam rejicere, favere, & conspirare Sacramentariis.*

III. *Circa hæc dubia convocandum esset Concilium: censura illius est sequens: Hæc propositio in dubium revocans, quæ ab universalibus Conciliis, inspirante Spiritu Sancto, de Sacramentis, & maxime de Sacramento Eucharistice decisa sunt, & decreta, & ab universali Ecclesia hætenus recepta, falsa est, Schismatica, & hæretica, autoremque illius declarat dubium in fide,*  
Z 2 hæreti-

Sæcul. XVI. hæreticum & conturbatorem pacis, & uni-  
 A.C. 1559. tatis Ecclesiasticæ.

IV. *Judices, qui Sacramentarios juxta edictum punierunt, judicarunt juxta legem Mosaicæ Religionem: qui vero aliter judicarunt, hi sententiam pronuntiarunt secundum legem gratiæ, quam nunc habemus. Prior hujus propositionis pars legem Mosaicam perstringens justo Regis edicto, & recto judicio, injuria est; altera pars impunitatem hæreticis, & Sacramentariis concedens, eoque in suis fovens erroribus, seditiosa est, Schismatica, sanctis Patrum Canonibus, sacris Ecclesiæ Conciliis, legi etiam gratiæ, quæ veteri non adversatur, contraria, & hæretica, Statum utrumque civilem, & Ecclesiasticum, imo universam Rempublicam perniciosissime conturbat, & evertit.*

V. *Quicquid in Ecclesia factum, ne ipsa quidem Sacramenti Altaris administratio digne fuit facta, eoquod potissimi ex Sacerdotibus fuere concubinarij, hinc omni studio Synodus est convocanda: insuper populus non percepit ea, quæ Ecclesia fecit. Hujus propositionis censura est hæc: Prima pars sic in universum prolata ac etiam ad administrationem Sacramenti Altaris determinata, est falsa, hæretica, & in Spiritum sanctum blasphema; ratio autem, quæ subjungitur, nulla est, assertio temeraria, & Ordini Sacerdotali injuriosa. Tertia pars est captiosa & suspecta. Ultima pars in-*  
 nuens

nuens oportere populum intelligere, quæ sunt in Ecclesia, est error Valdensium, & Meldensium.

Sæc. XVI.  
A.C. 1559.

§. LVI.

*Magoti Propositiones censuris notatæ.*

Eodem mense Septembri die decima tertia rursus aliæ octo propositiones circa Religiosos, & justificationem ab Antonio Magoto Ordinis Fratrum Minorum pronuntiatæ damnabantur: eorumque prima erat: *Peccant fundantes claustra, & ingredienti sunt viri diabolici.*

II. *Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.*

III. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad servanda præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum cælorum.*

IV. *Augustinus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnitentiam egerint, de hoc, quod habuerint possessiones, & instituerint, & intraverint Religiones, & sic a Papa ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.*

Omnes, inquit Facultas, hæ quatuor propositiones falsæ sunt, erroneæ, impicæ, & hæreticæ, jam olim in Concilio Constantiensi adversus Joannem Wiclef damnatæ.

V. *In cultu divino summa est vanitas, quod alii donis, alii proluxa, alii compta*